

2764. XIV, 1-11 — Carta de D. Bartolomeu, bispo de Silves, e cabido, pela qual renunciava a favor de el-rei D. Dinis todas as graças, liberdades e privilégios que tinham sido concedidos aos bispos D. Roberto e D. Garcia por D. Afonso, rei de Castela, pois ele não lhos devia ter dado por não ser o verdadeiro rei do Algarve. Lisboa, 1295, Janeiro, 31. — *Pergaminho. Bom estado.*

In Dei nomine amen.

Noverint universi presentis instrumenti seriem inspecturi quod ego Petrus Arie auctoritate regali publicus tabellio civitatis Ulixbonensis

in presencia publicorum tabellionum subscriptorum predictae civitatis adhoc adhibitorum vocatorum et specialiter rogatorum in civitate Ulixbonensi vidi legi et diligenter inspexi quamdam cartam patentem de veris sigillis pendentibus sanis et integris in omnibus et per omnia venerabilium virorum domni Bartholomei Dei gratia episcopi et capituli Silvensis sigillatam non rasam nec abolitam non viciatam nec cancellatam neque in aliqua alia sui parte viciatam nec suspectam in parte nec in toto cuius tenor talis est.

Bartholomeus Dei permissione Silvensis episcopus una cum capitulo nostro deliberato consilio videntes et inspicientes donationes per domnum Alfonsum illustrem regem Castelle et Legionis factas domno Ruberto et domno Garsie bone memorie quondam Silvensis episcopis et ecclesie nostre in Algarbio non posse subsistere ipso jure cum ejusdem Algarbii predictus domnus rex non esset verus dominus set detentor sine usu fructuarius et ad tempus propter hoc quod utile fore posset nobis et ecclesie nostre et valere duximus eligendum scilicet nos et ecclesiam vestram submittere gratie et mercedi domini Alfonsi illustris regis Portugalie et ipsius Algarbii et renunciare donationibus supradictis et stare donationibus suis nobis et ecclesie Silvensis factis hac (*sic*) etiam faciendis tanquam donationibus regis et veri domni ejusdem Algarbii necnon patroni ecclesie supradicte. *Et* ideo vero nomine nostro et ecclesie Silvensis renunciamus omnibus donationibus supradicti domini regis Castelle et Legionis nobis et ecclesie nostre concessis per eum in Algarbio supradicto et privilegiis atque cartis et omnibus aliis munimentis nobis et ecclesie nostre concessis super hoc necnon litteris confirmationis apostolicis seu indulgentiis si que super hoc impetrare fuerunt vel apparuerint in futurum et promittimus quod eis in iudicio vel extra iudicium non utamur.

Item. Renuntiamus omnibus actionibus iuribus et tocuis juris ausiliis si que nobis super hoc et ecclesie nostre competunt vel competere poterunt in futurum. *In* cuius rei testimonium presentem litteram supradicto domino regi Portugalie et Algarbii concessimus sigillorum nostrorum munimine consignatas. Datum.

Cujus carte tenorem ego tabellio memoratus totum de verbo ad verbum nichil addito nichilque remoto per quod littera vel sensus inmutetur in hanc publicam formam redegi et ad rogatum Martini Petri rectoris ecclesie de Chileyros exinde hoc publicum instrumentum manu propria confeci et in eo ego et tabelliones subscripsi signa nostra duximus apponenda in testimonium hujus rei signum vero meum tale (*sinal do tabelião*) est.

Actum fuit hoc Ulixbone ultima die Januarii. Era M.^a CCC^a xxij^a.

Et ego Dominicus Suerii publicus tabellio Ulixbonensis recognosco me vidisse predictam cartam dictorum sigillorum esse sigillatam et in hanc publicam formam esse redactam et publicatam in hoc publico instrumento per manum Petri Arie tabellionis supradicti et de veris

signis dicti Petri Arie et mei et tabellionum infrascriptorum esse consignatum ad rogatum dicti Martini Petri in testimonium premissorum signumque meum tale (*senal do tabelião*) est.

Et ego Dominicus Martini tabellio publicus civitatis Ulixbonensis auctoritate regali recognosco me vidisse predictam cartam dictorum sigillorum esse sigillatam et in hanc publicam formam esse reddactam et publicatam in hoc publico instrumento per manum Petri Arie tabellionis supradicti et de veris signis dicti Petri Arie et Dominici Suerii tabellionum suprascriptorum et tabellionum aliorum infrascriptorum et mei esse consignatum ad rogatum dicti Martini Petri in testimonium premissorum signum vero meum tale est (*senal do tabelião*).

Actum fuit hoc loco mense die et era superius nominatis.

Et ego Nicholas Dominici publicus tabellio Ulixbonensis recognosco me vidisse predictam cartam dictorum sigillorum esse sigillatam et in hanc publicam formam esse redactam et publicatam in hoc publico instrumento per manum Petri Arie tabellionis supradicti et de veris signis tabellionum suprascriptorum et tabellionis infrascripti et mei esse consignatum et ad rogatum dicti Martini Petri in testimonium premissorum signum vero meum tale (*senal público*) est.

Actum fuit hoc loco mense die et era superius nominatis.

Et ego Johannes Menendi publicus tabellio Ulixbonensis recognosco me vidisse predictam cartam dictorum sigillorum esse sigillatam et in hanc publicam formam esse redactam et publicatam in hoc publico instrumento per manum Petri Arie tabellionis supradicti et de veris sigillorum esse sigillatam et in hanc publicam formam esse redactam et publicatam in hoc publico instrumento et de veris signis tabellionum suprascriptorum et mei esse consignatum et ad rogatum dicti Martini Petri in testimonium premissorum signum vero meum tale est (*senal público*).

Actum fuit hoc loco mense die et era superius nominatis presentibus tabellionibus suprascriptis et quibusdam aliis vocatis et rogatis.